



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii**

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

**Maffei, Pietro Antonio**

**Augsburg ; Regensburg, 1740**

**VD18 80488153**

Pro die nona Meditatio secunda. De gloriosa Christi resurrectione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

*Dies nona.*

## Meditatio decima octava.

*De gloriosa Christi resurrectione.*

**S**Ublatis impedimentis, quæ sunt peccata, & positis fundamentis, sive dispositionibus per imitationem illarum virtutum, quas Christus, dum nobis convixit, exercuit, restat, ut cor tuum accendas veræ & perfectæ charitatis ignibus; & hic scopus, & finis est viæ unitivæ; huc tendant necesse est sacra nostra exercitia; huc collimabunt meditationes adhuc reliquæ, quibus claudetur hæc tua solitudo sacra.

Per solutâ solita oratione præparatoria, præmittes Meditationi sequentia duo præludia.

In primo imaginare tibi, te videre Christum devictæ mortis triumphatorem è sepulchro resurgere ad vitam gloriosam, familiariter agere, & conversari cum suis Apostolis, & ipsis præsentibus ac spectantibus miraculoso volatu terram relinquere, ex monte oliveti cœlis appropinquare, & omnes, etiam supremos transcendere, ut culmen gloriæ adeptus ad dexteram æterni Patris confideat.

In



In secundo pete hanc à Christo gratiam, ut ab ipso discas viam perveniendi ad illum felicem terminum, ubi illum laudes, & benedicas sine termino æternùm beatus, ubi te expectat, coronam, quam præparat, tibi impositurus. Hodie manè uti poteris sequentibus precibus jaculatoriis: Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Job. c. 19. Vel: Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne Nomen, ut in Nomine Jesu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. ad Philipp. c. 3.

Meditationem divide in hæc tria puncta.  
1. Resurrectio Christi. 2. Commoratio Christi in terra. 3. Ascensio Christi ad cælos.

### Punctum primum.

Considera, quòd Christus duplicis generis bona in sua Passione amiserit, aliqua, quæ corpus, alia, quæ animam concernebant, utrumque hoc genus bonorum Christo restitutum fuit cum incremento à Patre Divino in resurrectione sua.

1. Bona corporis, quæ Christo in sua Passione fuerunt erepta, fuerunt varia.  
1. Per-



1. Perdidit pulchritudinem corporis, quæ omnes homines antecedebat: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Ps. 44. Ejus vultus fuit deformatus sputis, genæ alapis lividæ, spinis cruentatæ, hinc Propheta in Christo, sibi in extatica visione præsentato, ne similitudinem quidem humani vultus videre visus est. *Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus.* Isa. c. 53.

Sed pulchritudo hoc modo amissa per dotem claritatis fuit ipsi restituta in quadruplum, quæ vultum Christi tanto splendore, & decore, tantæque majestate ornavit, ut nostrorum sensuum beatitudo in cælo sit futura: unicus ex ejus vultu erumpens radius lumine ac splendore suo superabit, & offuscabit splendorem omnium simul corporum beatorum, quorum unumquodque ipso sole splendidius erit *in perpetuas æternitates.* Dan. c. 12. In monte Thabor, in quo Christus tenuit aliquod specimen futuræ suæ claritatis Apostolis exhibuit: *Resplenduit facies ejus sicut sol.* Matth. c. 17. ita ut Petrus crediderit, montem Thabor in Paradysum conversum fuisse.

2. Amisit Christus tempore Passionis robur & sanitatem corporis, quæ ob perfectissimam temperiem tam firma & valida erat, ut nunquam vacillasse, aut levissima infirmitate legatur fuisse tentata. Neque hæc sanitatis jactura se ad unam tantum corporis partem extendebat, sed ad omnia &



& singula totius corporis membra: à planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Isa. c. i. Verberibus enervatus, flagellis laceratus, spinis transfixus, clavis transforatus.

Sed quod robur, quæ sanitas ipsi ad compensandam hujus jacturam rependitur? tanta velocitas & agilitas corporis, ut hujus ope se in ictu oculi ab uno ad alterum polum hujus universi sine omni mora, sine omni fatigatione, transferre possit, ut velocitati nostrarum cogitationum, vel desideriorum neutiquam cedat: eam subtilitatem, ut nullum corpus quantumcunque durum ac crassum, nec portæ ferreæ, nec montes illi viam obstruere, aut transitum impedire possint, quàm parum hoc fieri potest puro spiritui: eam impassibilitatem, ut vi hujus non solum nihil amplius pati, nullum amplius dolorem sentire possit, aut ulli tormento obnoxius sit, sed corporis naturam penitus exuisse videatur, id unum de hac reservans, quod necessarium est ad percipiendas in cælo sensibiles delicias ad beatitudinem corporis spectantes.

3. Amisit tandem vitam temporalem in crucis patibulo trucidatus, relinquens corpus exanime, non quidem vermibus corrumpendum, attamen sepulchro tenebroso includendum: sed in resurrectione recuperat vitam longè meliorem, vitam non amplius morti subjectam, quinimò ipsius mor-



tis domitricem, & triumphatricem: eius  
vita est immortalis: *Christus resurgens ex mor-  
tuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* ad Rom. c. 6.

Christi resurrectio est mortalitatis nostra  
triumphus, non ea de causa tantum, quod  
tunc multi mortui cum Christo resurgente  
resurrexerint, sed ideò potissimum, quia in  
ultimo die iudicii omnes mortui resurrecturi  
& per Christum ad vitam revocandi sunt.  
*Per hominem mors, & per hominem resurrectio  
mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur,  
ita & in Christo omnes vivificabuntur.* 1. Cor.  
c. 15.

Gratulare corpori Redemptoris ob exi-  
mias dotes, & prærogativas obtentas, hor-  
tare, & anima tuum pariter corpus ad imi-  
tationem Christi patientis & morientis, ut  
imitari & sequi possis gloriosè resurgentem,  
non horreas aut fugias mortificationem,  
aut mortem ipsam, ut vita frui possis cum  
ipso æterna.

II. Bona animæ, quæ Christo tempore  
passionis erepta & tempore resurrectionis  
cum maximo incremento reddita fuerunt,  
erant varia & multa. i. amisit tranquillita-  
tem, & lætitiæ sui sacratissimi cordis in in-  
tegrum tristitiæ mare demersit specialiter in  
fatali agonia, quam in horto sustinuit, ubi  
tam profunda, & tetra fuit tristitia, ut in  
hæc ad discipulos verba proruperit: *Tristitia  
est anima mea usque ad mortem.* Matth. c. 26.  
vix



vix levior aut mitior fuit illa tristitia, quæ Christum in monte Calvarix oppressit, cum se undique, & ab omnibus omni ope destitutum, & penitus derelictum vidit: *circumspexi, & non erat auxiliator.* Ita. c. 63. Ab ipso adeo Patre suo cœlesti desertus, & inimicorum suorum in ejus perniciem conjuratorum arbitrio traditus: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Marci c. 15. v. 34.

Sed recuperavit in sua resurrectione lætitiā abundanter, nam gaudium beatificum per integros triginta tres annos in superiori animæ parte suspensum perruptis tandem aggeribus & obstaculis, pleno impetu inundavit etiam inferiores animæ potentias, & quidem perenni, & nunquam exiccando, aut obturando fonte aquæ salientis in vitam æternam: secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo *consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ps. 93. Jam se videt stipatum à turmis Angelorum, quem prius circumdabant cohortes licitorum, videt se adorari à Sanctis, quem prius subsannabant mordaciter derisores.

2. Amisit omnem æstimationem, famam, & honorem, instar mancipii habitus, instar jumenti vilipensus, instar luti protritius, latronis & furis instar condemnatus, cruci suffixus tanquam blasphemus, tanquam populi seductor, ut illud Prophetæ Thren. c. 3. *Saturabitur opprobriis, implebitur, quam-*



vīs enim ignominiarum esset famellicus, & appetentissimus, tamen usque ad nauseam his fuerit satiatus.

Sed magno cum lucro redditus illi fuit honor, cum fama & æstimatione ablatas, nam in Resurrectione inceperunt homines agnoscere eum pro Deo mortis triumphatore, cui non solum in cælo & in terra, sed in ipso etiam inferno omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quod sedeat ad dextram Patris Divini gloria & Majestate ipsi par & æqualis.

3. Perdidit omnem amorem & affectum discipulorum erga se, nam ex his aliqui eum negarunt, & ejurarunt, alii prodiderunt, alii fuere scandalizati, alii eum coram hominibus confiteri erubuerunt, omnes denique eum deseruerunt, & ignavam fugam arripuerunt. *Omnes relicto eo fugerunt. Matth. c. 26.*

Sed post Resurrectionem revixit pariter longè intensior & solidior affectus antea extinctus Apostolorum erga Christum: hi non solum frequentibus Christi redivivi apparitionibus, sed longè magis à Spiritu Divino, quo die Pentecostes repleti, & accensi fuerunt, animati, in publicum, prodierunt in foris & compitis Christi gloriam divulgantes, ejusque divinitatem imperterritè etiam coram Regibus, & tyrannis defendentes, exierunt in omnem terram, totumque mundum dispersi, Christi Nomen annun-



annuntiaturi, & de ejus Resurrectione testimonium perhibituri; habuere innumeros sequaces, novæ Religionis cultores, & Christi adoratores, cum quibus sanguinem profuderunt & vitam in confirmationem Evangelii, & doctrinæ ab ipsis propagatæ, & amoris, quo Christum, ejusque sanctissimam legem complectebantur. Hoc modo omnes quorumcunque bonorum jacturæ, quas Christus passionis suæ tempore passus est, abundantissimè & cum ingenti lucro compensatæ fuerunt.

Si his omnibus ritè perpensis cor tuum præ lætitia non exilit, non gaudio, & solatio diffluit, certum indicium est, te parum & frigide amare Redemptorem tuum: exultare te oportet, ipsique ex animo gratulari victorias, & triumphos cum tanta sua gloria ubique obtentos, simul tecum reputare, quanta sint præmia quibus abundanter compensat aliorum merita, qui amore Jesu sua, etiam modica vel minimum quid reliquerunt. Certus esto, Deum se vinci non sinere à nostra liberalitate; dat pro uno centum, minimum nostrum laborem aut obsequium remuneratur mercede millies majore, & hujus pretium infinities excedente: *Non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam ad Rom. c. 8.*



## Punctum secundum.

Considera moram, quam Christus post suam Resurrectionem in terris per quadraginta dies traxit; quamobrem Christum tamdiu in terris hærere voluisse putas, cum tamen locus corpori glorioso proprius esset cœlum? Credibile est, Christum non aliam ob causam diutius in terra commoratum fuisse, quàm ut discipulos suos ob præterita etiamnum afflictos & consternatos consolaretur, & erigeret, ut de rebus futuris sollicitos animaret, ut rudes & ignorantes in rebus æternis & Divinis instrueret.

1. Duplici de causa erant discipuli Christi afflicti, nimirum tum propter seipfos, tum propter Christum. Cur se adhuc affligerent causa erat, quod sibi conscii & memores essent ignavissimæ fugæ, & transfugii tempore passionis arrepti: propter Christum, quia etiamnum ob oculos ipsis verfabantur injuriæ & cruciatus, quibus optimus & divinus eorum Magister ab impia synagoga affectus, & ignominiosa ac crudelissima mors, qua sublatus fuerat.

Justæ, & piæ sunt hæ duæ causæ tristandi: tritari propter peccata propria, est tristitia pœnitentiæ; tritari propter peccata aliena quibus Deus offenditur, est tristitia justî zeli. Quam causam, quam originem habent



habent tuæ tristitiæ & animi afflictiones? fortassis defectum tuarum commoditatum, & voluptatum; fortè affligeris, quia beneficium vel officium, quod certò sperabas, & ambiebas, non es consecutus, sed æmulo tuo postpositus fuisti, quia pensionibus, vel debitis oneratum te sentis, quia domestici se tibi ingratos exhibent, & pro beneficiis tibi maleficia reddunt. O tristitias non solum inutiles, sed etiam noxias corpori & animæ! de his tristitiis loquitur *Ecclesiasticus c. 30. multos occidit tristitia, & non est utilitas in ea.* Sub his umbris & nebulis se abscondit & dormit diabolus: *sub umbra dormit.* Job. c. 40. & paratas habet sagittas, quibus te transfigat: *Paraverunt sagittas in pharetra, ut sagittent in obscuro.* Ps. 10.

Si tristitiam justam & sanctam cum Apostolis admittis, in amore Dei radicatum, a-derit suo tempore Deus ad te consolandum, sic enim etiam cum Apostolis egit sæpius. Ita solatus est Petrum trinam negationem amarè deflentem, sic solatus est & Magdalenam plorantem ad sepulchrum: sic solatus est binos discipulos in Emmaus peregrinantes, cum amaritudine, & acerbo animi dolore Christi patientis lugubrem historiam invicem recoquentes. In hac, similique tristitia semper invenies consolationem. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Joan. c. 16.



2. Timidi & solliciti erant discipuli de rebus futuris. Optimè nôrant Pharisæorum lupinam rabiem, unde non immeritò timebant, ne, postquàm hanc in Pastorem effuderant, contra gregem pariter verterent, hinc clausi latebant, nec in publico comparere audebant. Ut animos ipsis adderet, & timorem abstergeret Christus à morte resuscitatus sæpiùs se ipsis præsentem stetit, solitus semper succurrere illis, qui propter justitiam persecutionem patiuntur: nec aliud quid frequentius repetiit, quàm dulce id: *nolite timere*. Luc. c. 24. Matth. c. 28. addit promissionem, quod illos velit munire superna, ac cœlesti fortitudine, *virtute ex alto*. Luc. c. 24. nimirum illo spiritu divino, qui novit omnem timorem, & imbecillitatem mutare in fortitudinem.

Et reipsa, postquàm spiritus Paraclitus super illos venit, ex timidis lepusculis in intrepidus leones mutati, prodierunt ex cœnaculo, Evangelium, & Christum crucifixum publicè, & aperta fronte prædicaverunt coram populo turmatim accurrente, nec minis territi, nec derisionibus, nec verberibus, nec morte ipsa, imo sibi lucro, gloriæ & honori duxerunt, inter mille ludibria, & tormenta pro Christo dilectissimo suo Magistro mortem oppetere.

An & tu ex illo sacerdotum numero es, qui æquò meticulosiores humanis ducuntur respectibus, silent, quando loquendum esset,



esset, qui dissimulant scandala, ne incur-  
rant indignationem & odium potentium?  
Ubi liber & imperterritus sacerdotis animus?  
ubi robur pectoris? ubi constantia & for-  
titudine Apostolica? ubi sanctitas impudens,  
& sancta impudentia, quam Christus exigit  
non solum inter opprobria & contemptus,  
sed in ipsa morte: *Nolite timere eos, qui occi-  
dunt corpus, animam autem non possunt occidere*  
Matth. c. 10.

Roga Deum, ut te mutet eodem mo-  
do, quo mutavit Apostolos, auferens de  
corde tuo metum, & de vultu tuo rubo-  
rem, ut te reddat pie ac sancte impudentem  
& effrontem, quando agitur de obsequio  
& honore divino, & de salute animarum  
tuarum curarum commissarum: temperare tamen  
oportet zelum indiscretum prudentiam sed  
non illa prudentia, quae vocatur pruden-  
tia huius saeculi, & prudentia carnis; *nam*  
*prudentia carnis mors est.* ad Rom. c. 8. sed illa  
prudentiam, quam Christus laudat & requi-  
rit in servis suis fidelibus: *Fidelis servus, &*  
*prudens.* Matth. c. 24.

3. Erant Apostoli in rebus & mysteriis  
divinis necdum satis instructi. Eousque  
speraverant, Messiae regnum fore tempora-  
le, & de hoc mundo; à Messia Israelem  
jugo & servituti Romanorum eximendum,  
pristinoque flori, ac statui, in quo fuerat  
sub Davide, & Salomone, restituendum:  
hanc suam opinionem satis clare expresserunt

Z s

duo



duo illi discipuli, quibus in Emmaus euntibus se Christus associaverat: *nos autem sperabamus, quod esset redempturus Israël.* Luc. c. 24.

Innitebantur, & dirigebant se principiis & dogmatibus hujus mundi, ita ut inter se contenderent, qui inter ipsos alterum dignitate præcederet, *quis eorum videretur esse major* Luc. c. 22. Apostolorum. Ambiebant in regno Christi, quod temporarium credebant, prima subsellia: *unus ad dexteram, & unus ad sinistram in regno.* Matth. c. 20. Alii à Samaritanis rejecti in vindictam exarserunt tam acrem, ut à Christo peterent, è cælo ignem tam crudorum hominum totiùsque civitatis devorantem deplueret, *vis dicimus, ut ignis descendat de cælo, & consumat illos* Luc. c. 9. Alii dissuadebant, & procul à passione ac cruce, tanquam à re probrosa, & summè dedecente Christum volebant remotum: *Abstet à te Domine, non erit tibi hoc.* Matt. c. 16.

Ut tam crassa ignorantia liberarentur, opus erat divinâ sapientiâ, quæ illos doceret, & instrueret, qui totius mundi debebant esse Magistri & Doctores, hunc in finem Christus post suam resurrectionem tam diuturnam in terris traxit moram: *Per dies quadraginta apprensus eis, & loquens de regno Dei.* Act. c. 1. Hæc ergo erat occupatio Christi toto hujus in terra commorationis tempore, Apostolis explicare doctrinam Christianam, dogmata fidei,



fidei, formam & materiam Sacramentorum, aperire mentis oculos, ut mysteria abstrusiora cognoscerent; *aperuit illis sensum, ut intelligerent.* Luc. c. 24.

Esne & tu ex illis Ecclesiasticis superbis & fastuosis unus, qui in ea sunt opinione, dedecere dignitatem suam, se demittere ad pueros, vel abjectam rudemque plebem in rudimentis fidei, & modo ritè vivendi, instruendam? Postquam Christus jam gloriosus hoc munus in se suscepit, & exercuit, sanctâ aliqua ambitione id tibi avidè expectere præ cæteris, & arrogare deberes tanquam unam ex præcipuis officii tui functionibus. Promitte redemptori te hoc pium & verè Apostolicum ac statui tuo tam proprium exercitium unicè cordi, & curæ habiturum.

Cùm autem per considerationem præsentem inveneris, Christum resuscitatum se totum impendisse exercitio operum misericordie tam corporalis, quàm spiritualis, & hujus præcipuè, ut sunt, afflictos consolari, pusillanimes animare & erigere, rudes & ignaros docere; Examina te ipsum, an & quomodo exerceas ejusmodi & alia opera charitatis, & siquidem te in his deficere deprehendas, deplora tepiditatem ac frigus tui cordis, & serium propositum concipe majori, ac duplici fervore priorem torporem imposte-  
rum emendandi.

Pun-



## Punctum tertium.

Considera in Christi ad cœlum ascensione tres circumstantias 1. Locum. 2. Modum. 3. Finem hujus Ascensionis.

1. Locus, unde ascensionem suam versùs cœlum orditur, est mons Oliveti, is ipse nimirum mons, in quem se Christus recipere solitus erat noctu ad orandum, & in quo pariter principium dedit amaræ suæ passioni, fatalem sufferendo agoniam, & copiosum sanguinem sudando.

Si mysterium penetras, hoc facto Christus te docere & monere voluit, gradus, per quos ad cœlum est eluctandum, esse orationem, & mortificationem. Hæ sunt duæ alæ, quarum perpetuo usu in hac vita, ad æternam quietem provehimur in altera vita; una ex his alis succurrit alteri, nam mortificatio est necessaria dispositio ad orationem! oratio verò est necessarium medium perveniendi ad perfectam mortificationem: si vel una tantùm ex hoc alarum binario desit, non poteris evolare ad cœlum juxta vestigia Christi in hunc finem tibi relicta in monte Oliveti impressa.

Oratio necessaria est, eò quòd perseverantiam finalem, ex qua salus nostra æterna dependet, non mereri, sed tantùm per ferventem & assiduam orationem impetrare possu-



possumus: oportet semper orare, & nunquam deficere. Mortificatio est necessaria, eò quòd Deus ita disposuerit, & velit, ut æterna beatitudo sit merces tuis laboribus, & sudoribus debita, & non solum gratiæ tuis precibus impetrata, & obtenta: non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei. Matth. c. 7.

Tu igitur, cum sis templum S. Spiritus vivum, in teipso duo altaria illis, quæ in templo Salomonis visebantur similia, erigito: unum ex his stabat extra templi fores, ubi mactabantur animalia pro sacrificiis: alterum in templo, & intra ipsa Sancta Sanctorum, ubi adolebatur incensum ex variis pretiosis aromatibus confectum. Ita & tu construere debes unum altare intra tuum cor, in quo offeras incensum tuarum orationum; alterum extra cor tuum, in corpore tuo, in quo imsoles victimas mortificationis. Roga Deum, ut acceptas habeat has binas oblationes, & has unias, atque jungas cum illis, quas Christus fecit in monte Oliveti, tanquam dispositiones, scalas, & alas necessarias salendi, & evolandi ad cælum.

2. Modus ad cælum ascendendi id habuit speciale, quòd Christum ingens numerus animarum ex limbo eductarum, aliquarum in Christi resurrectione etiam resumpto ex sepulchris corpore vestitarum, ac  
bea-



beataram comitatus sit: *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem ad Ephes.* c. 4.

En tibi graphicè descriptum & ob oculos positum modum, quem in sua in cœlum ascensione observare debet vir Ecclesiasticus, nimirum ne unquam solus, sed magno animarum inferno à se ereptarum comitatu stipatus hoc arduum, ac cœleste suscipiat, & conficiat iter: hunc in finem cura ipsi commissa est dispensandi divina mysteria, & parvulis frangendi panem.

Væ illi Ecclesiastico, qui omnem curam, & sollicitudinem in eo ponit, ut solum suam in tuto collocet, & salvet animam, de aliarum animarum salute parùm sollicitus, nam talis præcipuæ officii sui parti, & obligationi deest. E contrario qui eas, quas habet vires, impendit procurandæ salutis animarum duplam refert in cœlo gloriam, juxta parabolam Evangelicam de talentis: Erit magna gloria essentialis respondens merito operis, quo animam ad salutem pertrahis, vel saltem pertrahere conaris; superat hoc eleemosynæ cujuscunque etiam largissimæ pretium, teste D. Chrysostomo, longissimè: *Etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam.* Hom. 3. Magna pariter erit gloria, quam referet, accidentaliter, cùm enim Paulus tantum solatium & gaudium exinde percepit, quòd suis oculis cerneret suos Philippenses à se ad Christum



stum convertos, ut exclamaret; *Gaudium meum, & corona mea, vos estis gloria nostra, & gaudium.* ad Philip. c. 4.

Imaginare tibi, quale & quantum futurum sit tuum gaudium ac solatium in cœlo, cum te circumdatum cernes magna cœlitum turma, à te ad cœlestem patriam perductos & è diverso, quantum erit tormentum in inferno audire ejulatus, & maledictiones animarum tuâ culpâ, & negligentia æternum damnatarum.

3. Finis, propter quem Christus ad cœlos ascendit, est, ut fidem nostram ad perfectionem perducatur, spem confirmet, & restabiliat, charitatem inflammet: Fides versatur circa objecta, oculis abscondita: *Argumentum non apparentium*, ad Hebr. c. 11. & beati dicuntur illi, qui non vident, & tamen credunt. Christus ad sidera evolans, se nostris subduxit oculis: atque ita nostram fidem ad summam perfectionem perduxit, quâ firmissimè credimus, quòd Christus in throno suæ gloriæ sedeat ad dexteram Patris æterni, quamvis hoc non videamus.

Spes nostra solidatur, videns, Christum ascendisse ad cœlos, ut nobis præparet habitaculum: *vado parare vobis locum.* Joan. c. 14. Adit possessionem gloriæ non tantum pro se, sed tanquam nostrum caput, etiam pro nobis: *quòd præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis.* Leo Serm. 1. de Ascens. Ille nobis aperuit paradysum hæctenus peccati vecti-

vecti-



vectibus oppellatum, & illuc nos invitat, quò ipse præcucurrit: *præcursor pro nobis introivit JESUS*, ad Hebr. c. 6. Quam solidam non oportet esse spem nostram, si nos in persona Christi jam actu affidemus illi æternarum deliciarum mensæ? *Consedere nos fecit in cælestibus* ad Ephes. c. 2. Si tibi exercet officium Advocati apud Patrem pro nobis perorando tot linguis, quot vulneribus semper facundis: *semper vivens ad interpellandum pro nobis*: ad Hebr. c. 7.

Charitas nostra revirescit, & effervescit, quoniam affectus, & amores nostri à terrenis avulsi cum Christo ad cælum avolante in cælum everti sunt: *quæ sursum sunt querite, ubi Christus est* ad Coloss. c. 3. Si Christus stabilem in terris sedem fixisset, æquum nobis videri posset, hanc vitam amare, ut ita cum Christo maneremus ipsique adhæreremus: sed dum è terris discedit, exemplo nos docet, nihil esse in hoc mundo dignum amore nostro: De cælo misit effuditque Spiritum sanctum, qui est spiritus amoris, super Ecclesiam suam, ut in hac accenderet, & restatueret ignem charitatis: jam multiplices & plurimos elice actus firmissimæ fidei, invictissimæ spei, ardentissimæ charitatis, & huic Meditationi coronidem impone sequente oratione:

Deus, qui per unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reſerâsti; vota  
nostra,



nostra, quæ præveniendò aspiras, etiam adjuvando prosequere, per Christum &c.

---

*Dies decima.**Meditatio decima nona.**De Paradyso.*

**P**ost orationem præparatoriam sequentia duo formabis præludia.

Primò : imaginare tibi cœlestem Jerusalem, civitatem DEI prout describitur à sancto Joanne in sua Apocalypsi c. 20. civitas ex puro, & obryzo auro extructa; ejus fundamenta ex pretiosis lapidibus; ejus portæ ex meris unionibus, & margaritis, quam interfecat mediam flumen, idque vitalis; pellucidæ instar christalli; illuminata à claritate Dei, nec opus habet solis aut lunæ splendoribus, absque tenebris, absque omni nocte, omni umbra, & obscuritate, absque omni macula. Incolæ cœlestis hujus urbis perpetuis affluunt gaudiis, semper illustrati lumine gloriæ, quod nunquam occidit, multò minùs extinguitur.

A a

Secun-